legitimo Confeſſori: vt ait Caietanus. ver. Caſus reſeruatus. Reſeruatio enim quid odioſum eſt. Vnde debemus Theologizare, ſufficere ipſum peccatum reſeruatum eſſe cognitum & reuelatum ipſi Prælato, aut alij eius poteſtatẽ habenti, vt ſic ceſſet ipſa reſeruatio. Et hanc opinionem, vt veriſſimã, tenet Silu. ver. Confe. 1. q. 1. & eam tenet communiter Doctores: affirmantes idem eſſe dicendum, quando pœnitens aliquod peccatum mortale malitioſe tacuit, dum modo omnia peccata reſeruata reuelauerit. Et id ipſum etiam affirmant eſſe dicendum, quando pœnitens multa habet peccata reſeruata, & vnius, aut duorũ eſt oblitus: prout dicunt Adri. vbi ſup. §. Si petas. ver. ex hoc. & Led. vbi ſu. du. 7. In hoc enim caſu omniũ peccatorũ etiã oblitorũ voluit Prelati tollere reſeruationẽ, prout affirmat Nauar. cap. 26, nu. 13. Verum eſt tamen quod tenetur dictum peccatum confiteri cum ipſius fuerit recordatus. Et id ipſum etiam ſentiunt dicendum, quando pœnitens tempore Iubilæi, aut Bullæ concedẽtis abſolutionem à reſeruatis propter ipſius culpam [quia verbi gratia, tacuit aliquod peccatum mortale, aut non habuit debitam attritionem]